



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA NUAKCHOTTENSIS * DIOECESIS

**NUAKCHOTTENSIS, QUAE IN REIPUBLICAE MAURITANIACAE FINIBUS EXSTAT, A METROPOLITANA SEDE
DAKARENSI SEIUNGITUR**

ET APOSTOLICAE SEDI DIRECTO OBNOXIA FIT. Quod Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione, seu de Propaganda Fide, de sententia sive venerabilis Fratris Ioannis Mariani, Archiepiscopi titulo Missuensis atque in Africa Occidentali Delegati Apostolici, sive locorum Ordinariorum, quorum negotium interesset, opportunum fieri censuit, id est ut, ob peculiaria adiuncta, dioecesis Nuakchottensis a provincia ecclesiastica Dakarensi distraheretur atque Sanctae Sedi directo subiceretur, probandum esse censuimus. Qua de re, apostolica usi Nostra potestate, cathedralem Sedem Nuakchottensem a iure metropolitanae Ecclesiae Dakarensis eximimus eamque Apostolicae Sedi directo subiectam in posterum esse Apostolica hac Constitutione declaramus et statuimus. Quae quidem Constitutio ut ad effectum adducatur curet venerabilis Frater Ioannes Mariani, quem diximus, vel ab eo delegatus vir, dummodo in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui autem rem perfecerit congrua documenta exaranda studeat ad Sacramque Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittat, de more signata sigilloque impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die octavo mensis iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo octavo, Pontificatus Nostri quinto.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

S. R. E. Cancellarius

S. Congr. pro Gentium Evangelizatione

Rodomons Galligani

pro Apostolicae Cancellariae Regente Ioannes Calleri, Protonot. Apost.

Iosephus Del Ton, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXI (1969), n. 1, pp. 11-12 © Copyright 1968 - Libreria Editrice Vaticana
